

IV. Quia ex omnium gentium moribus inhumanum atque impium habitum fuit, corpora defunctorum inhumata relinquere, *Wes. in Oecon. suâ, ad tit. ff. de cadav. punit.* V. Quia in terra illa spectacula mulieres gravidæ sæpius visu incurunt, cum ad vias potissimum patibula collocari soleant, *Gilhaus. in arb. c. 2. tit. 27. num. 44. Bonifac. in tract. de furt. §. furtum, l. num. 16.* Hodie tamen secundum consuetudinem Germaniæ suspensorum cadavera non sepeliri, sed ad exemplum in furca relinqui solent, ut & conspectu alii deterreantur ab iisdem facinoribus, & solatio sit ipsis dominis, cognatis, & affinibus furtorum pœnas redditas esse, *l. capitalium, 28. §. famosos, de pœn.* An vestes furis pertineant ad carnificem? *Waldeck. de furt. q. 54 Zieritz. hîc, c. 204 vers. carnifici ejusq. ministris.*

ARTICULUS CLXIII.

Circumstantia furtorum atrociores.

Improbiores sunt fures, qui ex incendio, naufragio, ruina, & qui ex balneo aliquid surripiunt, nec non qui aratrum, aut alia instrumenta agricolarum furantur, præsertim ubi tempus hujusmodi instrumenta requirit, *Zieritz. hîc, verb. quancocunq.* De abigeorum pœna vide *Prosp. Farin. tit. de furt. q. 167. n. III. 117. 109. & Dn. Iohan. Hering. in eleganti tractatu de molendinis, q. 37. num. 7.* ubi quædam raræ, nec obviæ eruditionis adfert de furibus molendinariis, & balneariis, *per tot. de sacculariis & sectoribus zonariis (Beutelschneidern/* cujusmodi homines sceleratissimi Francofurti, Lipsiæ, Naumburgi, & alibi in nundinis versari solent, & vel magicis artibus, vel ratione illicita ex alienis sacculis pecuniam subducunt, vel sacculos cum pecunia manu subtrahunt, *Cujac. 10. obs. 27. allegatus à Iohan. Wolfgang. Aux de jure monetarum, concl. 163.)* tradit quoq; *Hier. Treutl. vol. 2. disp. 30. e. & h. agit de spoliantibus aratra, de quibus Berlich. part. 5. concl. pract. 49. num. 1. 2. cum seqq.* quoque non ineleganter disserit.

ARTICULUS CLXIV.

De furibus impuberibus.

Qui simplicis pubertatis annos nuper excesserunt, non facilè gladii pœnam, aut aliam duriolem corporis extinctivam subeunt. Quicunq; verò vel plenæ pubertati proximi, vel eadem majores, iis, si atrocitas delicti jubeat, si malitia ætatem suppleat, vel consuetudo delinquendi in alteram naturam ita sit commutata, ut nulla melioris frugis spes superfit, ordinaria pœna est infligenda, ut eleganter tradit *Dn. Iohan. Eichrod. vel. Acad. 4. concl. fin.* Videndus ego *Decad. Responsorum secundæ editionis, conf. 5. num. 50.* consulendi *Steph. hîc, & artic. 179. num. 1. 2. 3. & 4.* dicit, cum senectus sit altera adolescentia & pueritia, nonnunquam propter ingravescentem ætatem pœnam mitigari, *Waldeck. de*

furtis, q. 48. Zieritz. hîc, & 6. 179. verb. etatis infirmitate.